



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Caput secundum. Jesus de semine Isaaci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

PROPOSITIO IX.

335

celare potero Abraham que gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam acrobustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terrarum. Gen. 22. 15, 18. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de caelo, dicens . . . . . Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrarum.

seph, qui fuit Heli, . . . . . qui fuit Isaac, qui fuit Abraham. Gal. 3. 16. Abrahæ dicta sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, Et seminitibus, quasi in multis; sed quasi in uno. Et semini tuo, qui est Christus.

CAPUT II.

Jesus de semine Isaaci.

GEN. 26. 2, 4. Apparuitque ei (Isaaco) Dominus, & ait . . . . . Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrarum.

MATTH. 1. 1, 2. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Luc. 3. 23, 34. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Joseph . . . . . qui fuit Jacob, qui fuit Isaac.

CAPUT III.

Jesus de semine Jacobi.

GEN. 28. 12, 14. Viditque (Jacob) . . . . . Dominum innixum scale, dicentem sibi; Benedicentur in te & in semine tuo cunctis tribus terrarum.

Num. 24. 15, 17. Dixit Balaam filius Beor . . . . . Orietur stella ex Jacob, & consurgit virga de Israël: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

MATTH. 1. 1, 2. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Luc. 3. 23, 34. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Joseph . . . . . qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham.

I. **N**OBILE hoc Balaami prædictum nobis eripere contendunt Judæi recentiores, ac in primis R. Lipman in Libro Nitzachon, qui & totum *נצחון* exponendum censet. Unde cum juxta hanc interpretationem nec duces Moab interfecerit Jesus, nec vastaverit filios Seth, nec Idumæam possederit, nec Israëlitis opes ac robur à Jesu temporibus creverint, perperam hæc in Jesum conferri arbitratur. Grotius, qui pleraque Prophetarum de Christo oracula eruditus quidem & acutis interpretationibus, at non itidem veris labefactavit, Judæos illos novitios fere affectatur, atque hæc ad Davidem flectit, quod & antea fecisse Julianum Imperatorem notat Cyrillus. A Davide autem attritos esse Moabitas & Idumæos traditum est in libro secundo Samuelis, & ipsi Davidis Psalmi indicant. Mystice tamen ad Messiam hoc Balaami prædictum Grotius referri posse concedit. Nos hæc negamus sumi posse *נצחון*, sed tantum *נצחון* *מגדלן* *ישראל* interpretanda esse affirmamus, eoque sensu Christum Jesum notari. Nam quid hæc sibi volunt, si sumantur *נצחון*, Orietur stella ex Jacob? quid ista, Et consurgit virga de Israël? atque hæc, Vastabit omnes filios Seth? an universum genus humanum vastavit David? Grotium appello: an id facturus est Messias ille à Judæis expectatus? Lipmannum, gregalesque ipsius interrogo. Nam quod Sethum nescio quem Moabitarum regem comminiscitur Grotius, vel imaginariam quamdam urbem Moabidem R. Nathan, alique Rabbini absurdissimas interpretationes excogitant, nonne fuit fatius apertis oculis lucem intueri, quam micare in tenebris? Hæc igitur, quæ mere metaphorica sunt, quæ eundem sit in reliquæ prædictionis expositione manifeste demonstrant. Stellam dicimus Jesu Christi symbolum esse, quem Solis itidem, & Lucis, & Ignis symbolis significari ostendemus infra in Parallelismo. Virga quoque appellatur, Ebraice *שבת*, hoc est *Sceptrum*: id regiam dignitatem ac potestatem signat, quam Jesu quoque convenire Parallelismus declarabit. At Septuaginta-Interpretes reddunt *ἀνθερον*: in quo

Defenditur testimonium Num. 24. 17.

Cyrill. libr. 3. contr. Julian. 2. Reg. 8. 2.